NOBILISSIMO, AC SUMMÆ SPEI

ADOLESCENTI D. D.

ANTONIO CREAGH,

CUM IN COLLEGIO TOLOSANO

Soc. JESU poſt Philoſophicum Agonem
ſplendiſſime decertatum.

LAUREAM ARTIUM ADIPISCERETUR

EPINICIUM.

INSULA *cæruleo magnum decus addita ponto*
Quondā opibus belloque potens, dū fata ſinebant,
Nunc ſolis famoſa malis (niſi grandia poſco)
Pauliſper deterge ſitum, ſuſpende dolorem,
Exere læta caput, cohibe pacalis olivæ
Fronde comas, nutuque tuum dignata poëtam
Scande triumphales, HIBERNIA, *ſcande quadrigas.*
Tùm GALLOS, *veneranda, tuos, notumq;* GARUMNÆ
Littus, & antiquæ toties tibi viſa TOLOSÆ

A *Tecta*

[library stamp]

Digitized by Google

Tecta per undantes latè ſurgentia vicos
Cerne procul. Tibi res agitur: Tibi militat illic
Par Juvenum, Gentilis honos; non ille, nec ille
Immemor indignuſque tui, ſed clarus, & ingens,
Et pius, & populis latè plaudentibus exul
Per ſophiæ ſecreta volat, laurique ſuperbos
Captat uterque tibi non emorientis honores.
Ergò ſupervacuis nunc ſaltem libera curis
Come ſerenatam duplici diademate frontem,
Et cape, quas alio collectas littore palmas
CREVÆUS *tibi mittit ovans. O gloria noſtri*
Orbis, & ad ſeros mecum venture nepotes,
Chare puer! teneroque viris jam major in ævo,
Te ne procul patriâ procul à natalibus arvis
Relligionis amor, fideique innata tuendæ
Cura per externos puerum diſcedere tractus,
Et ſophiæ ſalebras, & inexplorata viarum
Audaci tentare fugâ, ſuperiſque ſecundis
Hactenus ingratos facit exhaurire labores?
Macte, puer, macte, ò muſarum certa voluptas!
Macte animo. Tibi fata Deum, tibi gloria rerum,
Fauſtaque laurigeri cecinerunt omnia vates..
Nec pudeat, quod non proavorum exempla ſecutus
Spumantes effundis equos in pulvere belli,
Quod non vulnifico metuendus acinace miles
Perfuris, aut patriâ jam te metiris in haſtâ:
His multò majora moves, meliora capeſſis,
Longè alïud ventura brevi tibi fama paravit
Nomen, & æternos laudem ſacravit in annos.
Jam rude donatus jam pulvere plenus honeſto
Mente gigas, ætate puer, jam dignus avorum
Exertas animos puerili in corde viriles.
Jam ſecreta tenes longè revolubilis ævi,
Temporaque, & ſeriem, & certo res ordine geſtas:
Jam, quoties calamos amor eſt inflare ſonantes,
Altaque ſacrati faſtigia prendere montis,
Combibis arcanos Andino è fonte furores.

Splendiſſimo juveni ANTONIO CREVÆO, quod ſuis virtutibus avitam claritudinem auxerit, quod æqualibus inſigni modeſtiâ præluxerit,

Jam

Jam Ciceronis opus, caſtigatoque fluentes
Eloquio libros memori ſub pectore condis
Jam cæli ſoliſque vias, elementaque rerum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet,
Diſcutis, atque animam tanto in certamine ponis.
Diſcutis oceano quos menſtrua luna recurſus
Molitur, medio cur tellus pendeat orbe
Ponderibus librata ſuis, quæ dextera nubes
Cæca premat, quæ cæca premat manus impete ventos,
Unde rubeſcentes ferali crine cometæ,
Unde nives crebræ, & commixtâ grandine nimbi,
Qui ſolis lunæque labos, qui fulmina clangor
Ducat, & humanas motura tonitrua mentes.
Quod moror? ulla tuæ non eſt impervia muſæ
Cognitio: quamcumque adytis Academia promit,
Et quamcunque libris dat priſca frequentibus ætas,
Diſcis, & in proprios etiam num congeris uſus.
Qualis ab eois ales longæva colonis
Cùm primum reducem genitali funere vitam
Inchoat, extemplo venturi præſcia fati
Colligit aſſyriis quæſita unguenta viretis,
Atque Arabum ſpicas, & mollia Thura ſabæûm,
Solaque Idumæis opobalſama cognita terris,
Ut cum ſexcentas iterum flaveſcere meſſes
Viderit, & longi finem fore protinus ævi,
Tùm cineres animare ſuos, & ſole ſequeſtro
Effætæ renovare queat primordia vitæ.
Talis es in libris, talis te cura remordet,
Ambitioſe puer, cui magna volumina ludus,
Ludus ARISTOTELES. *Vah! quis fuit inclytus ille*
Inclytus ille dies, quo tu, dulciſſime rerum,
Tercentum indociles nodos, ænigmata centum
Solvebas magnâ populi ſublimis in undâ?
Circùm ingens procerum, circum ingens copia matrum
Circùm fulgebant pretioſa toreumata, circum
Multus honorato radiabat conſul in oſtro.
Primus ibi ante omnes tuus, & tua maxima cura,

quo humaniores litteras apprimè didicerit, quod hyſtoriam Græcam, Latinam, Barbaram, eximiè calluerit, quod primus inter inſignes in logicam aſcēderit, quod intricatiſſimas Philoſophorũ difficultates publicè pate fecerit, quod undevicēnis tantum Encyclopædiam abſolverit, hos duodetriginta continuos verſus in gratulationis & victoriarum teſſeram, & applauſum huic elegantiſſimo poëmatī inſerere præoptavit F. P. M. A. H. S. C. J.

A 2 *Mecæ-*

✠ Symperſtemata Philoſophica, quæ tuebatur Antonius Illuſtriſſimo Nobiliſſimoque Domino FRANCISCO GABRIELI DE THESAN DU POUJOL Abbati d'Olargues Senatori Toloſano dedicabantur.

Mecænas, † OLARGUS *erat, quem plurima virtus,*
Et Regi ſpectata fides, & gloria gentis,
Magnarumque ſimul cana experientia rerum
Commendant pietate gravem: quo vindice nupèr
CONCEPTAM *ſine labe Dei pia Roma* PARENTEM
Aſſeruit, feſtoſque dies, atque annua ſacra,
Et ſimul expunctos feriali ex indice divos
Reſtituit. Proh! quanta viri, quam plena ſereno
Regnat in ore dies? ut inundat gratia vultum!
Ut gremium doctrina replet! SALVE, *inclyte vindex*
Cælituum, patriæque decus, virtute magiſtrâ
Servatos aucture deos, quem Gallia feſtis
Vocibus, & feſtis veneratur HIBERNIA *votis.*
Miſcebunt alii fatalia doctiùs arma,
(Credo equidem) aut validis inſternent claſſibus æquor
Prædicent meliùs ſortes, aviumque volatus
Diſtribuent ſpatio, & redeuntia tempora ſcribent,
Tu *tegere officio ſuperos,* OLARGE, *memento:*
Hæ tibi erunt artes. Novitati indicere bellum,
Ire reſurgentes contrà feliciter hydras.
Frangere JANSENIOS *& debellare furores.*
Hunc ſequitur numeroſa cohors Juvenumq; virûmq;
Auditura tuas, aut miratura loquelas,
Obſtupere omnes, intentique ora tenebant
Ora tuo, generoſe puer, pendentia vultu,
Et ſimùl incumbunt operi; bella, horrida bella,
Carthesiaſque acies, Thomiſtarumque furorem,
Et SCOTI *ſalebras, &* OCHAMI *ſomnia cerno,*
Quos inter validi, mixtìm graſſantur HIBERNI,
Gens rationis amans, & mentem paſta Camænis
Prodiga gens animæ, & properare facillima mortem;
Armati inſiſtunt omnes, Tu ſolus in omnes
Obvius armatos, & ſufficis unus in omnes.
Nec mora: flexanimum ſtreperi torrentis adinſtar
Præcipitas roſeo ore decus: quæriſq; probaſque
An levis ad muſcæ motum polus omnis & omnis
Quadrifidi latè moveatur Machina mundi.

An

Digitized by Google

An lapis obryzo populos qui repleat auro
Tormentum Chymicorum, & multis cauſa furendi
Sit potis: an magnes ferri complexibus hærens
Dura maritali cicuraverit ora capiſtro,
An vomitum rubri pretioſaqua viſcera ponti
Succina, Curalium, Gemmas, electra, pyropos
Vel marè. Vel tumidâ gignat levis oſtrea conchâ,
An cælos extra trifidique pomæria mundi
Poſſideat vacuum ſpatia intermiſſa locorum:
His poſitis: meliorque dies & purior æther
Luxit, & optati propior fuit orbita cæli.
Et niſi flammivomus magni ſub fine laboris
Præcipitaſſet equos prono temone frementes
Phœbus, & heſperias avidè flexiſſet in undas,
Monſtraſſes quæ norma boni, quo ſine beatum
Dirigitur: quot AMOR *ſeſe convertat in ora,*
Cur paleas electra trahant, Cur luce reversâ
Sit color, & nulli digreſsâ luce colores.
Remora cur magnas remoretur parva carinas,
Cur niger iratis ludat Delphinus in undis,
Cur adamas calidi frangatur ſanguinecapri,
Cur verſutus, atrox, & parvo natus in ovo
Bis ſeptem cubitos Nili Crocodilus adæquet,
Quis color ille viris nimio ſub ſole creatis,
Quod quibus ingenium arboribus; fatone, metune
Agna lupum fugiat, gallum leo, cerva leonem.
Ter conatus eras magnum per inane quadrigas
Vertere, & immenſi penetralia pandere cœli,
Ter ſignum campana dedit: nec ſecius omnes.
Proſequere tamen, ni jam, CRHVÆR, *videres*
Surgere præſentes ad verba noviſſima Patres,
Attollique tuum lætis ad ſydera nomen
Vocibus, & cuneos plauſu certare ſonantes.
Ilicet in laudes tanti victoris abitur.
Hunc decus egregium formæ movet atque juventæ,
Hic celebrat reſponſa graves reſerantia nodos,
Ille alius lætos oculorum & frontis honores,

Hic laudat faciles inverba potentia fluctus,
Huic placet ingenii nihil ignorantis acumen.
At patrii Reges, & avorum clara tuorum
Stemmata Hiberniacas inter fulgentia gentes
HIBERNOS *movere tuos: nam plurimus illic*
Belliger, & pleni numeroſo conſule faſti,
Magnorumque viget ſeries longæva virorum.
Quos inter tuus ille PATER, *quem juris & æqui*
Cognitio praxiſque ſimul, quem vivida bellis
Dextera, nobilitaſque orbi cognata creato,
Et Romæ jurata fides, & cognita virtus
Extulit ad primos patriæ plaudentis honores
Poſſem equidem (ſi non hæc dictu vana putares)
Innumeros de gente tuâ, de ſtirpe tuorum
Heroas, paciſque bonos bellique miniſtros,
Chare puer, narrare Tibi, qui prælia muſis,
Qui cœlum junxere ſolo, quos Græcia vellet,
Quos vellet Romana ſuos agnoſcere Tellus.
Poſſem alios, magnam qui pacti ſanguine laudem
Exilio vertêre ſolum, fideique ſequeſtres
Multifidam ſubiere necem † *ne ſæva paternos*
Hæreſis inductâ raperet ſtribligine ritus.
Poſſem alios, qui ſæpè domi, qui ſæpè remotis
Gentibus Italiæ, Tarteſſiacaſque per urbes
Perque urbes, LODOICE, *tuas immania laudum*
Semina jactarunt, ſive illos gloria fandi
Eveheret per templa Deum, ſeu roſtra forumque
Armarent graviore tubâ, ſeu ſancta ſciendi
Ambitio. Pars ire ſuper mortalia niſi,
Et circumfuſo veſtitum lumine lumen
Intentis haurire oculis: pars altera magnum
EUCLIDEN, *Sophiæque diù cedentia retrò*
Regna ſequi, SED *& his præfulget & omnibus illis*
Unus, & unus erit, quem nunc mea carmina dicent,
Ille tuus, rerum decus ac tutela tuarum,
ANTONI † PATRUUS, *quo Præſule Martia floret*
CORCAGO, *cui Roma viro mitramque pedumque*

† RICHARDUS CREVÆUS Archiepiſcopus Armachanus, ac totius Hiberniæ primas hujus adoleſcentis abavunculus, vir ſanctitate morum & excellentiâ Doctrinæ ſupr mortalitatis conditionem evectus cum fidem catholicam in Hiberniâ fluctuantem ſermone potens & opere confirmaret, ab Elizabethâ Angliæ Reginâ captus, & in Turrim Londinenſem truſus, quam duodecim per annos verbo, ſcripto, exemplo Religionẽ adminiſtraverat, eandem ſuo ſanguine, marty-

Præ-

Præmia doctrinæ, ſimul & virtutis honorem,
Et grati monimentum animi dedit. HEU! *quibus ille*
Jactatus fatis, aut quæ tormenta ſubivit?
Sive per Auſonios fines, Tiberimque padumque
Exeruit ſublime caput, ſeu ſyderis inſtar
AUSTRIACÆ *regnata domo penetravit in arva,*
Seu lavit illuſtres facundo flumine Gallos,
Sive Biennali conſeſſus carcere Romam
Hæreticis malè præda fuit. Certè ille decorus
Et bonus, & ſtratâ memorabilis hæreſe victor
De Styge, de mundo per Hibernica regna triumphat,
Eloquio, virtute, manu. Jam, Græcia, tandem,
Jam tandem Tu Roma, ſile. Nec inania nobis
Ora Demoſthenceos ultra, magnumve Periclem,
Aut Ciceronis opes, aut nomina vana Catonum
Objicite. Hoc illos uno penſavimus omnes,
Hic vir hic eſt, quem (ſi verbis audacia detur)
Haud timeam magni Paranymphum dicere cęli,

rium capitis abſciſſione con ſecutus, illuſtravit anno 1589.

✠ PETRUS CREVÆUS magnarum virtutum & multarum imaginum vir ad ſumma quæque natus: charitate laboribus; eloquentiâ ſupereminens.

Humaniores litteras in Galliâ didicit, Romæ in Collegio Hibernorum Alumnus, Philoſophiæ ac Theologiæ in Collegio Romano operam dedit. Inde concionator Apoſtolicus in patriam remiſſus apparatiſſimum virtutis exaggeratæ decus exhibuit, & multos mortales aut errore lapſos, aut in peccatorum cœno volutantes in viam ſalutis operoſiſſimè revocavit.

Unde multis nominibus clero populoque commendatus Romam rediit negotiorum Eccleſiæ Hibernicæ ſummus adminiſter.

Quo munere magnâ ſui laude, magno patriæ commodo cum defungeretur, in Pontificium S. Theologiæ Profeſſorem aſſumptus ingenti auditorum concurſu, nec minore purpuratorum patrum approbatione ſacras litteras toto triennio interpretatus eſt.

Ibi Religione, moribus, ingenio viris Principibus ad miraculum charus, in Epiſcopum Corcagienſem à Clemente X. conſecratus eſt. Qui diuturno maximarum rerum uſu peritus ante novem annos magna ſui expectatione in Hiberniam denuò tranſmiſit, ubi Religionem Catholicam diu miserè deformatam ſi non priſtino ſplendori reddidit incolumem, certè qualem ſummâ diſcretione, prudentiâ, felicitate, difficillimis temporibus rexit, auxit exornavit. Et quamvis eſſet fidei in principem palmariæ, fatalem ita declinare non potuit invidiam quin perduellionis reus ageretur, & capitis anquiſitus cauſam diceret ſordidatus quidem ſed non ſordidus. Miſſi plebiſcito lictores qui hominem caperent. Capi non detrectantem capere non auſi ſunt, ſummâ viri majeſtate perterriti. Ipſe ſui fidejuſſor & vadimonium, cum aufugere nullo negotio potuiſſet, ſui copiam iniquiſſimo Tribunali fecit.

Haud

Haud timeam ſimilem divino dicere Paulo;
Tanta viri virtus animo, tantuſque redundat
Blanda per ora Deus, tantum nitet inſtar in ipſo,
Tot varios hauſit pro Christi *nomine caſus:*
Si duo præterea tales Hiberna tuliſſet
Terra viros: fruſtrà vim necteret aſpera fraudi
Hæreſis, aut caſtos recutiret adultera mores.
Salve adeò, ſalve æternum, Ter maxime Præſul,
Salve, noſter amor. Seu Te Corcaginis *arces,*
Occidui decora alta maris, ſeu ſacra trahentem
Otia rus patrium dulci complectitur umbrà,
Sive ſacris patriam potare canalibus omnem
Eſt amor uſquè Tibi, lachrymatricemque columbam
Caſta ſalutiferi revocare ad baſia ſponſi,
Seu populum rorare tuum, propiuſque vocari
Mavis, & priſcum clero donare nitorem.
Quidquid agis, quocumque loco, Digniſſime Præſul,
Accipe laurigeri non inficianda nepotis
Munera, magnarum prima illa exordia laudum,
Munera, quæ facerent homines diviſa beatos.
Ille tuas, patriſque ſui, proavûmque ſuorum
Dum tenero varias coadunat pectore dotes,
Tota patrum ſeries propagine ſurgit in unâ
Magnaque Tu *tanti pars es,* Vir Magne, *triumphi*
O fortunati nimium patruuſque nepoſque!
O felix patruoque nepos, patruuſque nepote!
Perge, Pater, *patriis puerum producere curis.*
Perge, Puer, *vultus in imagine figere tantâ,*
Perge adeo, ſortemque tuam tibi, ſpemque tuorum
Anteveni virtute tuâ, morumque decenti
Nobilitate genus; neque enim tibi pluris habendum eſt
Marte triumphatas in vincula ducere gentes,
Quam Regem ſimul eſſe tui, famulumque tuorum;
Jam meditare tuis exemplum imitabile natis,
Jam ſere quod ſemper tibi tempus in omne metetur
Te duce perpetuos ut avunculus optet honores.

Accuſabatur læſæ majeſtatis; & magnorum (ſi diis placet) cum externis nationibus fœderum. Inter mille ſpectatores tantæ cauſæ, nemo fuit qui virum deſolâ ſibi famâ notum tam glorioſi pro fide conatus capacem non crederet cum ob abſolutiſſimam formæ dignitatem, tum ob incomparabilem eloquentiam, quâ vel Angliâ teſte triumphavit.

Sed inventi ſunt duo perditiſſimi quadruplatores qui de ſanctiſſimo pręſule falſum teſtimonium flagitioſiſſimè perhiberent; quorum alter, cum facti pœnitens frequentiſſimo ſenatu palinodiam cantaſſet, Paulò poſt in exilio repentinâ morte ſublatus eſt; alter ſe vera dicturum jurare juſſus à judice dum adhuc fluctuat, dum librum Evangeliorum trepidâ

Sic

Sic tibi, cum fluctus præterlabere Britannos,
In patriam patriæ decus & ſolamen iturus,
Nulla triumphalem remoretur cauſa carinam,
Nulla moram navis, nullus mala Ruminet Anglus.

manu contingit, & conſcientiâ tanti criminis inhorreſcit, ecce tibi ſub pedibus tot a contignatio paulatim fatiſcere, ſubitiſſimam ruinam trahere, ſpectatores & cauſſidicos in præceps, agi, labefactari judices.

Quo caſu cum plures vulnerati, multi membratim contuſi, quidam perempti, omnes miraculo territi trepidarent, ſolus pro tribunali prætor, ſolus pro cancellis Epiſcopus incolumes evaſerunt, illum ſuggeſtus parieti clavis hærens, hunc tranſverſale tignum, quod unum innoxiè ceciderat, ſuſtinebant.

Ergò PETRUS CREVÆUS, tot miraculis abſolutus honorificentiſſimè domum dimittitur, & vir tantus Biennali captivitate CHRISTUM & ROMAM confeſſus duas hodiè populoſſimas Diœceſes, maiorine dicam fructu an gloriâ? Solus adminiſtrat. Cujus è clariſſimo fratre nepos ANTONIUS CREVÆUS, digniſſimus tantâ propagine ſurculus, hunc Agonem Philoſophicum hodiè decertat, & nobis tam ſplendidum Adoleſcentem, tùm admirabilis Avunculi gratiâ tùm ſui, hoc levidenſi munuſculo proſequi viſum eſt, ut & ſuus unicuique conſtet honos, & Juvenili animo ſubjiciantur domeſticarum laudum igniculi, & perpetuum noſtræ obſervantiæ monimentum æternitati commendetur.

OFFEREBAT.

Toloſæ die prima menſis Auguſti, anno 1685.

J. H. Michaclipolitanus Hibernus.

ROMÆ M.DCC.XXVI.
Ex Typographia Komarek in via Curſûs.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google